



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Modi LX Sacræ Orationis variè Formandæ**

**Kojałowicz, Kazimierz Wijuk**

**Antverpiae, 1668**

Modus XXXIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](#)

qua ad pacem tibi: nunc autem, abscondita sunt ab oculis tuis. Audite hæc Reges, audite Regna, & intelligite, quia patiens est dominus, & multæ misericordiæ: verumtamen nisi convertamini, in die, quæ ad Pacem vobis est, in tempore opportuno, Psal. 33. aut ut Hæb! legunt, in tempore inventionis: fiet quod post impænitentiam Jerosolymæ prædictum. *Venient dies in te, & non relinquetur lapis super lapidem;* Cogentibus peccatis vestris, Deum quodammodo invitum, ad ultionem justam, de vobis sumendam: juxta quod loquitur Salvian, lib. 6. de provid. *Circumsonabant armis, muros Carthaginis, populi barbarorum: & Ecclesia Carthaginensis, insaniebat in circis, luxuriabat in theatris.* Alii foris jugulabantur, alii intus forniciabantur. Pars plebis foris erat captiva hostium; pars intus, captiva vitiorum. Tum addit. Et cum hac omnia fierent, quid aliud talis populus agebat, nisi, ut cum Deus perdere adhuc fortasse nollet, tamen ipse exigeret, ut periret. O cæcitatem? O amentiam? semper vitandam.



## MODUS XXXIII.

**S**Ententia habens specialem Emphasim, aut propter mysterii excellentiam inclusam; aut propter beneficij magnitudinem, significatam; aut propter præmij, vel pænarum excellentiam exageratam; ita tractanda assumitur, ut toto Orationis

nis decursu, probationes, aut amplificationes illius  
neantur: ipsa autem suo sensu, singulas s̄epius  
concludat. Potest autem ejusmodi sententia non  
solum ex Evangelii sacris assumi, sed & aliunde  
peti: atque rei propositæ adnecti. Sic exaggerat  
in Vigilia Nativitatis, verba illa, *Iesus Christus fi-  
lius David, nascitur in Bethlehem Iuda, mellifluus*  
*Bernardus. Sic in ipso die Nativitatis, verba illa,*  
*verbum caro factum est, decus concionatorum P.*  
Petrus Skarga Societatis nostræ. Hujus etiam  
exaggerationis formam, premit Drexel, in Rogo  
damnati. cap. 10. ad illa verba *Eternitas piorum  
suspirium.*

## PRAXIS.

In Feste omnium Sanctorum.

Beati Beati Beati Et. Matib. §.

**A**cceſſus & Propoſitio. Si quis dies potest; ho-  
diernus etiam debet, perſuafum nobis redde-  
re, quod olim ſibi certum, coram toto mundo edi-  
xit; tuba Sacræ Eremi Hieronymus. Vox  
eius est: *Nullus labor durus, nullum tempus longum,*  
*debet videri, quo gloria æternitatis acquiri-  
tur. O quam pauci hanc vocem audiunt; quam*  
*pauciores intelligunt! ut autem intelligent,*  
*plurimum omnino intereat! quatenus ad eam*  
*gloriam, ad quam creati sumus & qua felices*

M 2 animæ

animæ sanctorum jam fruuntur, animosè accingamur. Eja auditores! demus tanto negotio, tantum temporis, & ad Christi Domini prædicacionem reflexi, quām meritò id sentire debeamus, quod nullus labor durus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria æternitatis, qua Beati fruuntur acquiritur, expendere hodie velim⁹.

### Confirmatio debet, aut potest constare

Exaḡeratione, singularum Beatitudinum; quæ omnino ex sunt ut illis rectè pensatis, exclamare necesse sit. *Nullus labor &c.* Regnandum enim E. g. beatis est: & in cælis regnandum: & quid hoc? & quantum? quantoque labore dignum? Pro domo una, pro familia conservanda, quantus labor suscipitur, & neque sic multum se laborasse credit, qui quod desideravit assequitur. Statuantur autem præmium laboris, Regnum Poloniæ, Galliæ, Hispaniæque certo acquirendum; quid non tentabit humana, non dico ambitio, sed & gloriosum generis animi propositum? Gracchus apud Plutar. cum pontificatum ambiturus in forum prodiret; atque per matrem, difficultatibus objectis arceretur: *aut mortuum me, inquit, hodie, aut Pontificem videbis.* Quis hic improbus pro pontificatu, ad mortem labor? quid verò pontificatus, quid omnia alia, ad Regnum cælestē: Harræ comparatae ad Palatium, casæ ad Templum. Quid enim hæc Regna? & quid illud? Primum

reco-

recogita, aliud innuit D. Aug. Manual. cap. 7. Ibi  
vita sempiterna, & sempiterne beata, ibi gaudium  
sine mœrore, requies sine labore, opes sine amissione, sa-  
nitas sine languore, abundantia sine affectione, vita  
sine morte, perpetuitas sine corruptione, beatitudo sine  
calamitate, omnia bona in charitate perfecta, & plena  
scientia in omnibus, & per omnia. Expende quan-  
ti hæc constent, & quanti facienda, quando cum  
regno cælesti veniunt. Verè verè nullus labor ma-  
gnus, nullum tempus longum debet videri, quo gloria  
ratis æternitatis acquiritur, sed pergit Salvator,  
Beati &c. quoniam ipsi possidebunt terram. Minui  
res videtur. Quid enim, ni possideant, imo con-  
temnant terram, Quorum Regnum est in Cælis?  
At latet hîc ingens aliquid, & beatissimum, quod  
assecutus D. Hippo. Præf. lib. 1. de Serm. Domi-  
ni in monte. Illam inquit credo terram, de qua in  
Psalmo dicitur Spes mea es, tu portio mea, in terra vi-  
ventium. Significat enim quandam soliditatem, &  
stabilitatem hæreditatis perpetuæ: ubi anima per af-  
fectum bonum tanquam in loco suo requiescit, sicut  
corpus in terra: & inde cibo suo alitur, sicut corpus  
ex terra: ipsa est requies & vita sanctorum. Dam-  
hi obsecro in terris, talem terram quæ sit terra vi-  
ventium, quæ habeat soliditatem & stabilitatem  
hæreditatis perpetuæ, in qua tanquam in loco suo  
anima per bonum affectum requiescat. Heu! si  
tot laboribus ac ærumnis terra mortuorum, terra  
nō habens stabilitatem, terra in qua non invenitur  
requies animæ, quæ ritur verè, nullus labor magnus,  
nullum tempus longum videri debet, quo gloria æter-

M 3 nita-

nitatis acquiritur. Simili modo, cæteræ beatitudines expendendæ essent & simili sententiâ concludendæ, in quarum examine ad magnitudinem gloriae Sanctorum percipiendam, duo quoque illa, non immerito consideranda, *Primo* quam varie sapientia summa, beatitudinem illam, exaggeret, appellando illam septies diverso vocabulo quod est, (humano modo loquendi) significare: rem talem esse, quæ satis explicari non possit, *Secundo* concludendo Beatitudinem ultimam, verbis initialibus, quoniam ipsorum est regnum Cælorum, & omnes una; beati, &c. Beati: Beati &c. quod eandem difficultatem exprimenti significat: & quandam abyssum felicitatis, de qua cum plurima dixeris, dicere tamen taliter non possis, quin reliqua profundissimo silentio involvas, illud iterando, quod toties dixisti, Beati: Beati. Ah verè! nimium verè! nullus labor magnus, & nullum Tempus diuturnum videri debet, quo talis gloria æternitatis acquiritur.



## MODUS XXXIV.

**P**RÆfixâ propositione, rationes illius, nón simpliciter proferuntur: sed initio confirmatio-  
nis, adfertur aliqua historia, Symbolum, figura, atq;  
adeo etiam Apologus, aut parabola gravis, propo-  
sitioni præfixæ probandæ aut explicandæ apta:  
Tum verò subsumitur, rem de qua dicendum sit,  
ita se habere prout in historia, Symbolo, figurave  
est repræsentatum: atque indè, per ostensionem  
connexionis, similitudinis, proportionis aut alicu-

ju